

Johann Christoph Wilhelm Schmuhl

De Febre puerperali : Dissertatio inauguralis medica


Rostochii: Typis Adlerianis, 1822


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1008746827>


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU med. 1822

Schmuhl, Jo. Chr. Guil.







De
Febre puerperali.

Dissertatio inauguralis medica

quam

auctoritate et consensu illustris Medicorum ordinis

in Academia Rostochiensis

pro

summis in utraque Medicina honoribus rite

obtinendis

publico eruditorum examini

submittit

Ioannes Christophorus Guilielmus Schmuhl

Güstroviensis.

Rostochii

Typis Adlerianis

1822.

De
Filio puerperali

Quoniam puerperali

causae et morbi

et cetera

et cetera

et cetera

et cetera



et cetera

et cetera

Parentibus optimis dilectissimisque

ad

cineres usque colendis

hoc specimen

p i a g r a t a q u e m e n t e

offerit.

a u c t o r.

Patentibus optimis dilectissimisque

omnibus regibus colenda

hoc specimen

in

...

Febris puerperalis.

Prolegomena.

§. 1.

Is, qui in privato non minus medicinae exercitio, quam in magnis praesertim parturientium nosocomiiis invenitur morbus, ab *Eduardo Strother* primo febris puerperalis nominatus, maximum omnino medicorum studium gravissimamque eorum requirit curam, subtili magis magisque observatione diligentiaque colendam, ut, hujus morbi natura et indole clarius perspecta, curam in eo sanando therapeuticam meliorem reddamus atque utiliore.

§. 2.

Historiam hujus morbi diligentius perscrutanti, facillime, vel optimum quemque medicorum variam vario tempore ac saepe

contrariam hujus morbi imaginem concepisse, occurret. Alii febrem puerperalem morbum specificum, alii quamlibet, qua puerpera opprimitur, febrem puerperalem nominandam arbitrabantur. In tali doctissimorum illustriumque virorum dissentione, quaenam dissentientium causa fuere, rectissime anquiritur. Mihi autem caussae cardo videtur, quod medicorum plurimi, quum febris puerperalis, constitutioni annuae, corporis vigori cet. subiecta, variis interdum signis prodeat, variisque ex illa effectus redundent, varios in ista febre morbos adspicerent, praesertim quum quos in cadaveribus obductis hujus morbi effectus invenirent, haud raro morbi caussas habuisse videantur.

§. 3.

Sed quum vera febris puerperalis notio non nisi in puerperis inveniatur, morbi seminum quoque non nisi in puerperii conditione possumus anquirere. Recte *Stoll* in aphorismis, non esse febrem specificam puerperarum, sed modificatam solum a puerperio, et *Reil* febrem puerperalem esse typhum remittentem cum doloribus vagis per omne abdomen spar-

sis et in regione umbilicali plurimum fixis, a caussa peculiari a puerperio eruenda, oriundis.“

§. 4.

Quamquam puerperae ob auctam earum vivacitatem, incitabilitatem, sensibilitatem ac reproductionem omnium febrium generibus facillime opprimantur, tamen non omnis in puerperio febris puerperalis habenda, sed ea solum, quae, *Richtero* duce, vel tantummodo vel praecipue saltem graviditatis decursu et partus puerperiique doloribus atque molestiis procreatur. Quae quidem febris non modo omnium periculosissima, verum etiam suis symptomatibus suoque decursu gaudens, et sporadice et epidemice se ostendit atque in magnis parturientium nosocomiis saepe contagiosa.

§. 5.

Itaque quum usque ad nostra tempora tam variae doctissimorum illustriumque virorum de natura hujus febris sententiae et opiniones existant, in vera hujus morbi indole et notione anquirenda disserendaque oleum et operam perdere haud videor.

 Cap. I.

 M o r b i n o t i o.

§. 6.

Medicorum permulti, doctissimo *Hippocrate* duce, uti *Sennert*, *Boerhaave*, *Mauriceau*, *Strother*, *Astruc* &c., febris puerperalis causam in lochiis impeditis invenisse arbitrabantur, opinantes, mensibus durante graviditate sublatis, multas in corpore materias impuras et sordes remanere, quae lochiis haud ejectis pestiferam istam febrem facillime adducerent. Falsam vero istorum sententiam esse, jam inde, ut non semper in morbi incremento, neque durante morbo, neque in ejus fastigio lochia sint oppressa, ita ut saepenumero usque ad mortem fluant, apparet. Huic etiam illud accedit argumentum, quod impeditis durante graviditate catameniis nullae in corpore sordes remanere possint, quam sanguis in utero non gravido periodice effluens (menses) gravido ad foetum nutriendum excolendumque sit necessarius, quumque ea etiam veterum opinio, quae acrimoniam

quandam mensibus et sordem tribuebat, jam diu derisa sit et jure deridenda.

§. 7.

Alii alia vestigia secuti, ut *le Roy*, *Puzos*, *Levret*, *Doulcet*, *Doublet*, nec non *Baerhaave* et *de Swieten*, *Selle*, *Michaelis* &c., galactopoesin impeditam et lactis metastasin, quum in cadaveribus obductis materias quasdam lacti corrupto similes adspicerent, hujus febris seminium fontemque habebant. Sed horum etiam opinionem, quum haud raro in optima lactis secretionem ista febris originem ducat, haud raro usque ad morbi fastigium mammae lacte plenissimae inveniuntur, neque vel morte subsequuta ulla lactis corrupti in corpore vestigia occurrant, falsam esse satis superque clucescit. Itaque quamvis interrupta lactis secretio valde periculosa omnino puerperae, saepe humorem quendam in alvum demittat, tamen ex sola hujus materiae cum lacte similitudine illa non jure morbi fons semper habenda est, quum iste humor inflammatione quadam tantummodo possit exsudari.

§. 8.

Aliorum de hoc morbo haec exstat sen-

tentia, ut *Stoll*, *Lentin*, partim *Metzler*,
S. G. Vogel &c., qui in gastricismo febris
originem anquirunt, utrum opinantes, qui
crescente graviditate crescit, intestina ab-
dominalia comprimere, digestionem impedire
atque assimilationem, eoque multas in tubo
intestinali cruditates procreare, praesertim si
gravida haud optimam vitae rationem serva-
ret; itaque postquam enixa sit gravida utero
contracto cruditates antea inclusas canalem
intestinalem inficere, qua ex re febris origi-
nem ducat. Saepe nobis omnino occurrit,
febrem hanc quodammodo gastricam esse,
quod jam ex vomitu et diarrhoea elucet, nec
non ex gravidarum ad saburram congregan-
dam dispositione, tristitia parturienti metu
atque inanitione aucta, e gravi excremento-
rum odore et magna denique hujus febris
cum febre gastrico-nervosa similitudine. Sed
quomodo etiam res se habeat, haud dubium
est, quin saburrae complicationes prae ceteris
febris puerperalis complicationibus ad morbum
valde augendum augendaque symptomata
vitae periculosa, si ista alvi profusio non im-
peditur, possint conferre.

Cel. *White* vel eo progreditur, ut saburram hanc ex febre puerperali febrem semper putridam procreare opinetur.

§. 9.

Multi quoque medicinae periti in inflammatione quadam, vel singularum partium abdominalium, vel plurium conjunctim, hujus febris originem adspiciunt. *Felix Plater* nempe et *Burton* et *Danman*, et *Ed. Johnston*, et *Tissot* et *Kirkland* &c. uteri inflammationem malignam febris causam credunt efficientem; sed quamvis ista uteri inflammationa cum febre puerperali saepius appareat, tamen non idem est morbus habendus; alii, *Hulme* praecipue et *Leake* ejus naturam ponunt in omenti et intestinorum inflammatione. Alter istam inflammationem ex diuturna viscerum abdominalium uterique gravidæ compressione oriri, partuque soluto sese ostendere, alter eo intestina inflammari opinans, quod sublato gravidæ uteri compressu nimis sanguine compleantur. *Hunter* autem, *Walter* et *P. Frank* istam febrem nil nisi peritonitidem putant, et *de la Roche* inflammationem omnium viscerum abdominalium erysipilati

similem. Eamque inflammationem erysipelatosam quoque in constitutione biliosa atque typho saepe invenimus.

§. 10.

Affectionem abdominalem varia et diversa abdominis organa, sed non eadem semper in omnibus hoc morbo aegrotantibus officere posse experientia satis abunde docet.

§. 11.

Inter tam multas tamque varias de hac febre sententias et opiniones nulla mihi naturae tam convenienter videtur, quam illa celeberrimi *Berends* et *Horn* virorum mea laude omnino majorum, qui ex imbecillitate quadam et debilitate puerperarum perniciosam istam febrem credunt orientem, ita ut asthenica sit morbi natura atque typhosa, una cum infectis, vel paucioribus, vel pluribus abdominis organis, quum nemo nesciat, partim crescente et decurrente praesertim graviditate gravidam debilitari, partim incitantibus hanc febrem medicamentis tam saepe jam feliciter esse sanatam. Illa etiam affectio abdominalis, et qui ex ea redundant dolores, praesertim morbi initio haud fixi, sed sparse

plerumque vagantes affectionem spasmodicam tantummodo, raro inflammationem veram, quae dolores non modo vehementiores, sed etiam fixos reddit, nobis ostendunt.

Sed quamquam, ut mihi videtur, saepius asthenica sit morbi natura, tamen sthenicam, synochicam, inflammationibus veris, atque corporis quodam vigore conjunctam, praesertim in initio, raro in decursu febris ostendere sese posse, haud nego. Nam experientia duce in initio febris doctissimos, saepe viros maximeque eruditos, utrum asthenica sit morbi natura, videmus dubitantes, ut in aliis haud raro similibus morbis, exempli gratia in scarlatina, in qua initio nunc maxima neurosis occurrit, nunc velocius ad inflammationem morbus decurrit. Optime igitur gravioribus exanthematicis febribus haec febris puerperalis adsimilatur. Subtilius autem accuratiusque hujus febris naturam et indolem esse explicandam *Berends* infitiatur.

Cap. II.
Morbi ordo et decursus.

§. 12.

Inter tertium plerumque diem et quintum, raro jam secundo die post partum, raro post quintum symptomata hujus febris apparent, ita ut more usitato cum febre uterina concurrant. Sed exempla non desunt, ubi et in ipso jam partu, et post quintum diem ista febris saevire incipit.

Initium morbi semper fere cum graviore aut leviori, tam longiori vel breviori frigore repentino et tempore quidem vespertino sese ostendit, una cum doloribus capitis, languore quodam, saepius quoque cum nausea et vomitu. Frigore autem praeterlapso calor adspicitur, pulsusque paulo abnormis, sed febre crescente mox frequentior. Secundo plerumque die graviore abdominis dolores in regione umbilicali, in hypochondriis saeviunt, usque ad scopulos interdum pervenientes, qui non certissimum modo hujus febris signum pathognomicum verum etiam valde periculosissimum jure habentur.

§. 13.

Isti, qui deinde per omne abdomen serpunt, dolores interdum tam concitati et graves apparent, ut externorum medicamentorum cura, cataplasmatum scilicet fomentationum, aliorumque ejusmodi impediatur. Dolores autem isti non nisi cum ipsa febre evanescent, haud raro aliorum corporis partium doloribus, ut praecordiorum et pectoris et dorsi atque extremitatum comitati, qui omnes plerumque vagantes mutabilesque inveniuntur, sicut abdominis dolores saepe in pleuritidem commutantur, quae, nonnullis forsitan horis praeterlapsis, denuo in dolorem vehementiorem abdominalem sese convertit. Abdomen intumescit, lochia mox opprimuntur, mox diminuantur, mox non mutantur; mammae hoc tempore turgentes flaccescunt, attamen lacte non carentes; lingua, quae initio colorem retinet humoremque naturalem, mox sicca fit atque fusca et fuscior febre crescente, urina inconstans, mox saturata, mox magis tenuis colore aquatico.

§. 14.

Huic alia saepe accedunt morbi sympto-

mata, vomitus interdum, saepius diarrhoea vehemens, diluta, valde putrida et fusca. Dejectione quidem puerpera exoneratur, sed per breve tantummodo tempus, nam diarrhoea non cessante debilitas magis magisque augeatur, sitis vix sedanda est, respiratio brevis, anxia, tussis sicca, oculi conniventes, mox splendore quodam affecti, mox languore.

Crescente febre haud raro accedunt dolores pectoris, animi deliquia, delirium vehemens, membrorum tremor, singultus, aliaque convulsiones aponia, et purpura.

§. 15.

Febris irregularem typum ostendit atque remittentem, quae in diem febre durante irregularitas crescit.

Cap. III.

C a u s s a e.

§. 16.

C a u s s a e p r a e d i s p o n e n t e s.

Causae, quae dicuntur praedisponentes,
Gaubio illustri viro docente, conditio sine qua

non, optimo jure morbi seminio et grano comparari possunt, ex quo pestifer hujus febris ardor prodit oriturque, ita ut causae occasionales ad illas referantur praedisponentes, ut lumen, aër, terra et aqua ad granum ipsum, quae nisi in ipso jam grano nascituae plantae quasi necessitas esset ad fructum procreandum nil possunt conferre.

§. 17. *Indicatio*

Quum non nisi in puerperis haec febris puerperalis inveniatur, causae praedisponentes quoque non nisi in graviditate antecedente et puerperio inveniri possunt. Plerumque autem hae causae praedisponentes videntur:
 1) Conglomeratio et stagnatio humorum in abdomine durante graviditate orta tum extensione peritonaei, quod exoneratione partus subito relanguescit, paulatim tantummodo in ordinem reductum, tum omnium intestinorum abdominalium vasorumque compressu graviditatis decursu, quo sanguinis et humorum circuitus impeditur, tum denique sanguinis ad uterum affluentia ad foetum excolendum necessarii. Itaque puerpera plethora laborat abdominali, quae deinde haemorrhagia in

parturiendo, lochiis accedentibus et lactatione in ordinem reducitur.

2) Ipsius uteri ratio et indoles, qui partu solutus introrsum leviter inflammatus, contrahatur oportet ad harmoniam cum omni systemate uterino restituendam, quod vigorem quendam roboremque desiderat.

5) Lochiorum fluxus, qui vario variis rerum permutationibus modo afficitur.

4) Lacteus humor, qui durante graviditate ad uterum confluxus ad mammas reflectitur.

5) Mammæ, quæ partu exultæ novo munere funguntur.

§. 18.

Si omnium harum caussarum complexum diligenter ratione animoque perscrutemur, non solum nimiam lactis conglomerationem febris causam esse, verum ut aliae per multae concurrant conditiones necesse esse, quæ humores in abdomine reddunt stagnantes, quæ ad inflammationem viscerum abdominalium, peritonæi, intestinorum, uteri omentique cet., ad diarrhoeas atque exanthemata, ad purpuram praesertim, possunt perducere, confitendum videtur. Sed omnes,

quas innumeravi hujus febris causae conjunctione quadam cum erectiori illa vivacitate, incitabilitate, sensibilitate et reproductione gaudent.

Cap. IV.
 §. 19.

Causae occasionales.

Eaedem fere, quae quamlibet puerperae febrem adducunt, nostrae etiam febris causae se ostendunt occasionales, inter quas primum obtinent locum gravis et dolorosus partus, magnus virium nisus, dolores in parturiendo vehementes, et laesiones partium genitalium mechanicae, obstetricum praesertim negligentia inscitiaeque adductae, tum vehementiora sanguinis profluvia, calidior puerperae vitae ratio, saburrae cum gastricismo conjunctio, refrigerationes in parturiendo, vel partum subito sequentes, mammarum praebendarum negligentia, imprimis lacte plenarum animi affectus repentini, stomachus, terror cet.; laxantium medicamentorum abusus in puerperii initio, haud salubris in puerperae cubiculo aër, nimis adstricta post partum abdominis ligamenta, annua denique constitutio

ad febrem puerperalem procreandam praecipue propensa, et quae alia sunt ejusmodi.

Cap. IV.

Varia nostrae febris indoles.

§. 20.

Febris puerperalis vel synocha est, vel synochus, vel denique typhus, mox simplex, mox cum gastricismo conjuncta aut putrescentia. Febre puerperali maligna autem, typhosa, contagiosa laborantes, omnes fere diem obeunt supremum, sed raro haec febris nostrae species invenitur, quae pestifero imprimis aëre adduci solet. Ista febris nostrae species, quae ex inflammatione abdominis nascuntur, epiploctide scilicet, diaphragmitide, enteritide cet., vel metritide, saepenumero uno eodemque tempore in eadem puerpera occurrunt, quum peritonaeum omniaque abdominis intestina complectatur.

 Cap. V.

Exitus febris atque periculum.

§. 21.

Febris illa puerperalis acutissimarum omnino febrium numero adnumeranda est, quum nonnulla hujus febris genera exsistent, quae tertio quartove jam die auferunt vitam. In tam veloci febris decursu suppuratio atque gangraena subito se ostendunt. Saepenumero septem vel etiam quatuordecim dies hac febre aegrotans laborat.

Praeaeque undecimo die animam exhalant, quo feliciter praeterlapso spes quidem omnino, minime vero necessitas aut securitas vitae elucet; conservandae quamquam enim remissiones nunc occurrere soleant, tamen interruptae soporem puerperae adducunt, apoplexia velociter accedente, letalem.

§. 22.

Quamvis autem optimo jure inter periculosissimos vitae morbos ista febris habenda est, tamen permulta quoque sanatae febris exstant exempla egregia illustriaque. Fausta lenitae et febris curandae omnia haec sunt:

si febris decreseat, exacerbationes minuantur, pulsus tardior fiat, exempli gratia, quod haud levis momenti est, si a 150 ad 140 ictus in sexagesima horae parte sese demittat, si abdominis dolores fiant leviores, ceteraque febris symptomata evanescant, si abdomen magis tenue molliusque fiat, ejusque ex tactu nulli dolores oriantur, (quod quidem interdum fallit omen, si typhosa sit febris natura) si aegrotantes exurgescere possint, tum etiam si animi vis et vigor et oculorum splendor redeat, si mammae turgescant lacte se implentes, cujus secretio antea febre oppressa erat, si lochia eodem tempore fluant, si leuitate exacerbationes leviori sudore, aegrotantem adjuvanti, solvantur, et urinae sedimentum album et subflavum fiat purique similis litrum diarrhoea autem faustum, an, duce *Berends*, semper infaustum sit febris symptoma, his inter medicos pendet; quodque alii de excrementis lacti similibus dicunt, quae re vera cadaverosa esse solent, fabella magis experientiaeque contrarium est.

§. 25.

Raro lysi aegrotans curari solet, in qua

ipsa aegrotans, oculi ejus pulsusque diligenter sunt observandi.

§. 24. Periculosissimis febrium generibus haud dubie adnumeratur, quum quae affectione locali comitantur febres duriores omnino gravioresque, iis quae illa carent affectione, habeantur. Praesertim si partum subito ista febris sequitur septimo jam die vitam aegrotanti adimere solet, si serius occurrit, levior plerumque minusque perniciosa est.

Ducibus *Vogel* et *Stark* abdomen praecipue sedes videtur mortis ac vitae; quo gravius oppresso, eo majus vitae periculum discrimenque minitatur.

§. 25. In maximo interdum discrimine vitae in externa corporis parte, praesertim in extremitatibus, vel etiam in glandulis dolores, rubor tumorque proveniunt, in forma metastasis, quae haud raro febrem reddit levio-rem mitioremque; si vero in interna corporis parte haec symptomata se ostendunt, mors non evitanda videtur, apoplexia plerumque adducta.

Febris feliciter curandae tum praesertim spes, si in parturiendo uterus laesus, si maligna epidemiae natura, imprimis si ex maligna nosocomiali orta et haec febris, decrescit.

§. 26.

Si varios nunc exitus febris complectimur, hosce invenimus:

- 1) resolvitur morbus, ut supra §. 22. jam disputatum est;
- 2) in externas, ut §. 25. dictum, partes derivatur;
- 3) in tabem puerperalem cum diarrhoea conjunctam transit, nec non cum lochiis vehementioribus putridisque, cum galactorrhoea, ita ut hecticae lentae febris ista adsimiletur, mortem adducentis.
- 4) in ascitem atque ovariorum hydropem hanc febrem posse transire dicitur;
- 5) melancholiam, si cerebrum affectum erat, procreat;
- 6) interdum pectoris abdominisque intestina atresia junguntur, organaque systematis uterini, ex qua graviores deinde dolores inflammationes, suppurationes

nascuntur. Pectoris autem atresiae iis ab-
 -anni dominis minus periculosae se ostendunt.
 7) Saepe in exsudationem mutatur, varias
 -con haud raro paralyses procreantem, in
 -alg ascitem purulentum acutum, qui frigo-
 -ofel rem adducit, pulsumque celerrimum,
 siccam cutem, oculos vultumque col-
 labentes.

8) Singulae denique partes sphacelo corri-
 piuntur.

Cap. IV.

Cadaverum obductio.

§. 27.

In ista cadaverum obductione febre puer-
 perali exstinctorum putor valde propagatus
 invenitur cum humoribus in naso, vagina et
 utero sanguineis. Sed exempla haud desunt,
 quod uterus nullo modo infectus occurrit,
 neque ruber, neque inflammatus, sed potius
 flaccidus, contritus, deletus. Intestina autem
 abdominalia, imprimis omentum, intestina
 tenuia inflammata, sphacelo correpta et mem-

brana spuria obducta, in abdomine humores, sero lactis similes cum materia densa innatanti caseata, invenimus. Talis humor haud raro in pleurae saccis, in pulmonibus, nec non in cerebro occurrit, qui aegrotantes praeurumque, et quidem ante exsudationem, leto apoplexia tradit.

Cap. VII.

Curae ratio et modus.

§. 28.

Cura prophylactica.

Hac potissimum cura prophylactica feliciter utimur, si epidemica vel saltem frequens est haec febris, tum vero etiam, si ob sensibiliorem irritabilioremque naturam puerpera febris obnoxia videtur. Est autem hujus curae ratio duplex, gravidarum scilicet puerperarumque.

a. *Gravidarum cura.*

Ut conglomerationes atque humorum stagnationes impediatur, gravidas oportet quotidie sub jove sereno corpus movere,

vitamque laboriosam sedulamque degere, nimis animi et corporis motibus abstinere, saltandi scilicet, equitandi, moeroris, iracundiae, et ea quaerere, quae ad hilaritatem animi possint perducere. In graviditate ad finem decurrente gravidae alimenta conveniunt liquida, ad concoquendum facilia, quum hoc tempore bradypepsia saepe laborent, habeantque alvi obstructiones, quae optimo modo per clysmata ducuntur, quibus haud sufficientibus cathartica leviora danda sunt. Maximopere autem recta vitae ratio et temperantia moderatioque sunt retinendae, cibaria, ad concoquendum difficilia, excessus in venere et baccho, vestimenta nimis adstricta, abdomenque comprimentia fugienda.

b. *Puerperarum cura.*

Quemadmodum omnia autem, quae ad debilitandam puerperam valeant, diligenter sunt evitanda, ita quoque puerperae cubiculum amplum munditiis aëreque sereno haud carens, in quo aura permeans caute provideque fugienda, neque nimis dilucidum esse oportet, quum major lux vi quadam incitanti gaudeat; sed et cubiculi nimia obscuritas

evitanda, quae puerperam debilitat. Lectus
 neque immundus, neque nimis calefactus ad
 refrigerationes declinandas, qua re cilicia cul-
 citis plumeis anteponenda. Mammae praeser-
 tim et brachia puerperarum ne lactando
 refrigerentur, cura adhibenda. Cibaria quam-
 vis tenuia, tamen viribus ac puerperae con-
 suetudine eligenda sunt, sed tenuiora potius,
 quam densiora validioraque; potus initio te-
 pidus, paulatim frigidior, nunquam gelidus.
 Potus mucosus, albo *Sydenhamico* similis, ex
 albo pane et citri malique aurantii sinensis
 succo mixtus maxime convenit. Alvus ob-
 structa ut clysmatibus quotidie ducatur, ne-
 cesse est. Praesertim ea quoque vitanda,
 quae ad excitandos affectus animique motus
 nimiores et perturbationes valeant. Si mater
 ipsa neonato mammam praebere vult, id
 statim fieri utile videtur, quum puerperii
 initio vel puerperarum debilitatarum id sanitati
 maximopere sit conveniens, quamvis in poste-
 rum forsitan letale desinat.

§. 29.

Cura therapeutica.

1) generalis.

Ea, quae therapeutica dicitur cura, ab

experientia solummodo ducta, optima ad sanandum omnino remedia praebet. Hujus morbi historia praesertim nobis optimum sanandi modum ostendit, docens, morbi initium febrem esse cum vehementiori dolore conjunctum sudore critico criticaque, eoque quod mammae lacte se impleant, abscessibus denique in exterioribus corporis partibus, in tela cellulosa, in glandulis, morbum saepenumero tolli, atque si natura morbum solvere et humores educere nequeat, sed in cava interiora deponat, nullam morbi sanationem esse sperandam.

§. 30.

Itaque initio statim febris repellenda reprimendaque, quo affectio abdominalis saepissime impedienda est tumque affectio abdominalis, quae doloribus et spasmis se ostendit, citissime tollenda. Si id quoque minime procedit, natura medicatrix atque aegrotantium vires omni modo sunt adjuvandae, praesertim transpiratio incitanda, et uteri et intestini recti excretio observanda.

§. 31.

Ipsius febris sanandae ratio.
Quum raro in febris initio medicorum

auxilium requiratur, aliquo tempore praeter-
lapso verum febris principium intelligere sae-
pius difficillime sit, quamque febris nostra
nonnunquam nil nisi febris lacteae continua-
tio videatur, clare elucet quamlibet febrem
uterinam, praesertim si vehementior fit, ma-
xima cura diligentiaque esse tractandam,
quum quasi semina febris puerperalis com-
plectatur.

Si ipsa igitur cum frigore et calore
aliisque symptomatibus febris puerperalis cla-
rius apparet, maximopere levioribus febrem
resolvere medicamentis, quae ad augendam
cutis transpirationem idonea sunt, nec non
constitutioni aegrotantium convenientia, ni-
tendum est, quae quidem praesertim initio
morbi haud levis momenti remedia sunt,
exempli gratia: Infusa floribus Sambuci, Cha-
momillarum, herba Melissae radiceque Vale-
rianae minoris confecta. Quacnam vero ho-
rum eligenda sint, ex constitutione aegrotae
optime dijudicatur.

Primo febris impetu sublato, qui largo
sudore tolli solet, cutis praesertim spectanda,
et, sudore cessante, panno laneo tenuiore sicco
calidoque molliter ubique fricanda.

Sed si prima febris exacerbatio sudore
 universali non finitur, sudor iis, quos supra
 allegavi modis, adjuvandus est.

In febris remissione manus pedesque
 aqua calida lavantur, sed ista cutis incita-
 menta provide considerateque adhibenda, ne
 nimis excitantia calorem quendam febrilem
 producant. *Berendy* potum tenuem, mucosum
 largiter calideque sumtum jam sufficere expe-
 rientia edoctus est. *Joerg* saturatam Amyg-
 dalarum dulcium emulsionem singulis horis
 semiunciatim sumtam, laude extollit.

His remediis adhibitis morbi fons dili-
 genter est anquirendus ad ejus indolem prius,
 quam excultus sit, perspiciendam, minimeque
 caussae occasionales negligendae, utrum sa-
 burra processerit, an refrigeratio, an gastrica
 sit constitutio, an uterus partu laesus, cet-
 quum hisce caussis occasionalibus sanandi mo-
 dus accommodandus sit.

Si saburra occurrere videtur, an vera
 sit nec ne, diligenter est perscrutandum.
 Nam si adest, radice Ipecacuanhae ad vomit-

tum excitandum praebita morbus evitatur. Sed neque vomituritio, neque vomitus ipse signa saburrae haud fallentia omni tempore habenda sunt, quum jam ex utero nimis excitato puerperii principio saepe nascantur. Saburra autem deficiente Ipecacuanha perniciosa est, nec unquam praebenda.

§. 54. Si in refrigeratione morbi fontem ponas febre ineunte curam supra §. 51. disputatam adhibebis, cui forsitan sinapismum et parvas Camphorae doses, in Amygdalarum emulsione cum gummi Mimosae solutas addere potes.

§. 55. Morbo ab utero, partu laeso, proficiscente, aut febre fortasse uterina oppressa, jam quae ad uterum sanandum accommodantur remedia huic etiam morbo utilia apparent, ut decoctum herbarum mucosarum, emollientium, anodynarum, radicis Althaeae, florum Sambuci cetera, praecipue si Conium maculatum addis, et injectiones in vaginam et in uterum, si fieri potest, ex ejusmodi medicamentis compositas.

§. 56. Si causas, quae dicuntur occasionales,

diligentius contemplamur, de natura etiam et indole febris recte opinabimur. Initio febris natura plerumque vaga, neque hypersthenica neque asthenica, quamvis asthenicae similior invenitur. Hoc igitur tempore medium tenent cauti providique medicorum inter methodum antiphlogisticam et excitantem. Si incitantia remedia salutifera videntur, caute adhibenda sunt, eodemque modo si methodo antiphlogistica, praecipue si venaesectione uti velis. Nam puerpera rigore corporeque robusto gaudeat plethoricoque oportet, ut ista venaesectione requiratur. Cautius enim hirudines sunt adhibendae, potissimum ad dolores reprimendos, imprimis fluxu lochiali subito oppresso. Sed si ob majores febris impetus venaesectione necessaria, in pede, neque in brachio est exercenda, quum tali modo lochiorum fluxus optime augeatur, neque corporis vires debilitentur.

§. 37.

Cura affectionis abdominalis.

Si definitus ille in abdomina, quod paucis interdum post partum horis accidit, dolor emerit, maximo, ut sedetur, opere nitentur.

dum est, quo satis velociter facto, de prospero curae exitu summa in securitate possumus versari. Initio linimentum ammoniatum, ex oleo Hyoscyami cum Camphora et tinctura Opii addita confectum, in ea abdominis, quae dolore corripuntur, loca, vel in totum abdomen infricandum, aut, si nimii dolores, quod saepius accidit, hanc curam, impediuntur, illud in pannum laneum tenuius infricatum imponendum est, una cum fomentationibus calidis ex herbis aromaticis, Conii maculati et Hyoscyami herba. Panna lanea, quibus fomentationes adhibendae priusquam adponuntur, exprimenda sunt, ac fomentationes neque nimis calidae esse, neque in abdomine frigescere debent.

Joerg duce istae fomentationes, quoniam exsudationum genesin in cavo abdominis adjuvant, plane sunt rejiciendae. Quod autem initio febris minime metuendum, quum hoc tempore ad tensionem abdominis, ejusque dolores minuendos, et ad reprimendam tum vomitionem, tum exsudationem in abdomine aptissime videantur.

Si vero dolores nihilominus non cessant,

vel adeo in aliqua abdominis regione fixi saeviunt, huic loco, iudicio *Berends*, sinapismum recte imponimus, quo dolores non satis levante, vesicatorium magnum, quod *Joerg* systemati uterino et renis nimis incitans, periculosumque arbitratur, sed satis velociter tantummodo impositum semper utile apparet, cui Amygdalarum emulsionem et paululum Camphorae addere potes, vel utilius emulsionem spuriam ex oleo amygdalino recenter expresso, gummi Mimosae et syrupo quodam compositam.

Ad leniendos intestinorum dolores clysmatibus Assa foetida confectis utendum est, quae caute danda sunt provideque, ne dolores magis magisque excitentur. Ea igitur ex lenioribus medicamentis componi, neque nimis abundanter uno eodemque tempore injici oportet. Si dolor spasmis similior videtur, infusum Valerianae cum nonnullis spiritus sulphurico - aetherei guttis, imprimis cum Hyoscyami extracto, vel adeo cum Opio, prudenter est immittendum, prioribus remediis, maxime vesicatoriis, jamjam adhibitis; etenim ne morbus exitum perniciosum devo-

let, dolores dimovere res est maximi momenti.

§. 58.

Tum etiam minime negligendum aegrotantem tectum omnino, verum non gravius cubare, fricatum cum panno laneo continuari, infantem ad lactationem promovendam mammae saepius adponi, vel mammas femina quadam exsugi, quam ad rem calidae aquae vapores provide ad mammas ductae maximam praebent utilitatem.

§. 59.

Balneorum quoque calidorum hoc tempore usus internis medicamentis saepe jam utilior meliorque fuit, quum his consideranter adhibitis non modo ipsa febris cito valdeque decrescat, verum etiam affectionis localis impetus plerumque velocius soleant levari. Sed tum non nimis calidas esse aquas oportet, tum aegrotantem a quarta horae parte usque ad dimidiam, vel ad totam horam in balneis remanere, balneaque pro ratione morbi semel, aut bis aut ter repetenda. Vel ipsos morti adscriptos hoc morbo laborantes doctissimus *Horn* lavari jussit, saltem dolores iis minuens, nec non molestias mortis.

§. 40.

Si morbus, quod raro accidit, praesertim quum febris puerperalis cum febre lactea se jungat, cerebrum invadit, apoplexia, ut dicitur lactea, aegrotans diem obire solet supremum. Hic maximi momenti est, cerebri invasionem citissime impedire hirudinibus capiti, vesicatorio magno cervici, fomentisque initio tepidis mox frigidioribus adpositis, atque Hydrargyro muriatico miti, ita tamen dato, ut diarrhoeae evitentur.

§. 41.

Pulmonibus pleuroperipneumonia quadam affectis, pectoris dolores iisdem, quae supra ad minuendos abdominis dolores explicavi, remediis optimo modo sedantur. Hydrargyrum muriaticum miti hic quoque utilitate non caret, imprimis quum raro duntaxat morbus improviso extinguere solet. Sed quomodo res se habeat, mammaram cura externa nunquam negligenda est, ut ad mammas lac deducatur.

§. 42.

Sed si jam exculpta est febris natura, signis, ut fieri solet, nervoso-typhosis occur-

rens, nil nisi aegrotantis vires imbecilles conservare atque augere, naturamque ad sanationem nitentem subtiliter adjuvare medico restat. Itaque omnia, quae ad debilitandam puerperam uspiam spectant, fugienda sunt opprimendaque, ut vomitus continuus potiore Riveriana, externo Opii usu, sinapismis, et interna etiam, sed provida Opii applicatione, diarrhoeae radice Ipecacuanhae partiunculis cum Opio mixtis, Cascarilla, Colombo, sed rectius Angustura, si veram habes, quum vim nervorum systema afficientem contineat, et externo denique clysmatum usu cum Opio conjunctorum.

§. 45.

Si ista symptomata debilitantia fugerunt, cortice Peruviano largiter uti debemus; atque, si fieri potest, frigide parato istius corticis extracto, in infuso radice Serpentariae soluto, interim parvae Camphorae doses dandae, Chinae usus continuandus, nervorumque affectiones liquore Ammonii succinici, Moscho aliisque tandem ejusmodi remediis minuendae. Corticis Peruviani vis praesertim vino provide augetur.

§. 44.

In hac aegrotantium cura, an dolores tumorve partium externarum se ostendant, diligenter est observandum, quo casu fomentationes his locis imponendae abscessus ad maturationem perducendi atque exhaustiendi sunt.

§. 45.

Saepe lochia puri similia accedentia juvant, quae Serpentaria, Camphora et injectionibus Conii maculati sunt augenda.

Multi etiam medicorum diarrhoeam utilem credunt, sed duce *Berends* diarrhoea semper fere mortem attulit aegrotanti.

In regione umbilicali, praecipue si et peritoneum affectum est, abscessus tales sese excolere solent, qui fomentationibus optime maturantur, tumque magnam puris copiam effundunt.

§. 46.

C u r a s p e c i a l i s.

Varii varias hujus febris species interpretantur, synochicam, biliosam, mucosam, tandemque nervosam. Horum haud plane forsau repellenda est sententia, si huic aut huic

speciei constitutio aptior videtur, qua quidem in re id quoque cogitandum, quod compositae ex synochica cum biliosa, ex mucosa cum nervosa cet. species appareant. Sed omnium febris puerperalis specierum, si et re vera existant, eadem cura est generalis, cui specialis semper subjicitur.

§. 47.

Febris puerperalis synochicae cura.

Feminae, habitu sthenico praeditae, quae ante partum atque graviditatem optima sanitate gaudebant, quarum vis corporis et vigor humorum plenitudinem indicat, quarum semper optima erat digestio reproductioque, febre puerperali synochica, praesertim si jam lactea eas febris vehemens invaserat, si lactis nimia iis copia adest, et lochiorum fluxus subito oppressus, tum etiam quam illis, quae ad incitandum corpus valeant, rebus valde expositae sint, facillime opprimuntur. Pulsus hic fallax signum, nam interdum tantummodo plenus, durus et frequens, saepius invenitur contractus, tensus atque celer. Certiora ex ipsa aegrotante signa, e vultu vigore, e doloribus abdominalibus, uno praecipue loco fixis, extricantur.

§. 48.

Itaque si hypersthenica est febris natura, methodus antiphlogistica, morbi gradui et stadio, et puerperae consitutioni accommodata, anteponenda methodo invitanti, hic semper pestiferae. Quum res ita se habeat, venae in pede sectiones quoque saepe necessariae, aut febre in vestigio non versante, neque locali abdominis affectione nimis saeviente, hirudines et cucurbitae cruentae, quae, ut nonnullis placet, ad spasmos quoque levandos valeant, in labiis vulvae majoribus, et interna femoris parte, et iis locis abdominalibus, qui doloribus corripiuntur, sunt collocandae.

Praecipue magna Kali nitrici copia in potu mucoso vel in quadam gummi Mimosae emulsione danda est aegrotanti, quo ad debilitandam puerperam valente Ammonium muriaticum. Nec minus Hydrargyrum muriaticum mite cum partiunculis Opii ad cutem afficiendam mixtum utilissime videtur, ita tamen, ut diarrhoeae evitentur, quam ad rem si paululum Camphorae addas, utilitas forsitan augetur.

§. 49.

Sanguine venis emisso ad phlogosin tol-

lendam parvae quoque Opii doses praebendae; aut Hydrargyri muriatici mitis minuendae, Opii sensim sensimque augendae, quae tensionem, dolores, atque inquietudinem levant. Sed inflammatione adhuc praedominante, Opii usus perniciosus, quo tempore venae-sectiones hirudinesque tantummodo adhibendae. Si Opium citius datur, aegrotantes quidem quietiores tranquillioresque fiunt, conqueri desinunt, et in melius valetudo aegrotantis ire videtur, revertitur autem brevi tempore morbus cum impetu ac morsu valde vehementiori graviorique.

Adhibitis iis remediis sanguinem exhaustibus ad id, quod inflammationis restat, discutiendum, ad tensionem minuendam, abdominisque dolores sedandos, ad vomitionem, et in abdomen exsudationem tollendam maximam calidae illae, de quibus §. 37. conferas, fomentationes praebent utilitatem.

§. 50.

Quaenam autem mammarum et uteri optima curae ratio? Si mammae collabuntur, si lactis secretio omnino impeditur, aut si mammae initio impletae mox lactis secretionem

cessante laxantur, cucurbitae siccae mammis admoventur, lactando infantis, aut feminae cujusdam, aut antlia denique lactea hac alliciendum, fomentationes ex aromaticis herbis imponendae, calidi in mammas vapores mittendi cet. Sed omnia illa, quae enumeravi, remedia, rarissimi utilitatem speratam praebere solent, quum internus vigor et vis, abs quo lactis secretio pendet, summopere oppressus occurrat, quocirca ista ad meliorem ducens valetudinem secretio sua sponte cessat. Sipienti tum febris, tum affectionis localis curae ratione lactis secretio optime restituitur, nullis ad hanc finem seorsum remediis adhibitis.

Impedita vel minuta lochia injectionibus e decocto Conii maculati, et vaporibus e floribus Chamomillae vulgaris et Sambuci confectis ad genitalia missis in ordinem optime quidem, sed raro tantummodo possunt reduci.

§. 51.

Gastricae, saburralis et biliosae febris puerperalis cura.

Si constitutio biliosa puerperas morbis biliosis obnoxias reddit, si vehementiores

animi perturbationes antecedeant, si in graviditatis fine et in ipso puerperio modum servare in victu neglectum est, his praesertim symptomatibus febris nostra occurrere solet.

Tum lingua materia quadam sordida obducitur, aegrotantes sapore molesto, amaro acerboque dolent, nec non doloribus capitis animoque inquieto. Hic emetico-cathartica consideranter adhibita, optima omnino videntur remedia.

§. 52.

In febre puerperali biliosa Kali cum succo citreo saturatum atque aqua dilatum ad turgorem excitandum utilissime dabis, qui sursum se ostendens Ipecacuanhae portiunculis ad vomitus modicos est deducendus, deorsum occurrens pulpa Tamarindorum, Manna et Rhei, portiunculis optime curatus, diarrhoea provide evitata, quare Opii paululum forsitan medicamentis addendum est, ut nimiae omnes alvi profusiones impediatur. Optime autem, atque cautissime sordes deorsum turgentes per clysmata deducuntur.

§. 53.

Si biliosa ista una cum synochica febre puerperali occurrit, nevrosis haud longe abest, in quam brevi tempore quoque transire solet.

§. 54.

Febris puerperalis mucosae cura.

Quaecunque febris mucosa febrium nervosarum generibus adnumeratur, quae in de-

bilitatis solum hominibus, quorum reproductionis organa vi carent atque vigore ad impediendam pituitae accumulationem necessario, inveniuntur. Hanc febris puerperalis speciem plerumque aphthae et purpura sequuntur, attamen ubi occurrit, semper ut neurosis tractanda est.

§. 55.

Febris puerperalis nervosae cura.

Saeppissime haec febris nostrae species in languidis imbecillisque feminis, praesertim constitutione annua adjuvante, invenitur, quum aër in puerperae cubiculo deperditus sit, variaeque causae debilitantes praecedant. Secundaria praesertim haec species occurrit, et quaevis febris puerperalis ut nervosa secundaria aegrotantem, si remedia des nimis exhaustiva, semper ad mortem ducit.

Hanc autem febris speciem tum ex constitutione aegrotantis, tum ex perspectis, quae antecedeant, viribus nocentibus, tum ex iis, quae adsunt, symptomatibus, ex varietate pulsus et mutabilitate, e manuum tremore, ex oculis in lacrymas solutis sudoribus vehementioribus, diarrhoea plerumque accedente, ex urina tenui et interdum fere jumentosa, et denique ex aegrotantis vi et vigoris sensu cognoscimus.

§. 56.

Typhosa hujus febris natura atque indoles methodo incitanti et generali et locali,

gradui febris et affectionis abdominis localis accommodata, optime sanatur.

Si modice tantummodo febris puerperalis nervosa est, modiceque affectio abdominalis, si typus haud levi quadam remissione gaudet, si pulsus et corporis temperatura parum abnormis solummodo, si lactatio et lochia diminuta quidem, sed minime sublata occurrunt, nunquam negligenda est aegrotantis cura, quum ista symptomata periculi ac mortis prima semina complectantur, sed modico remedia simpliciaque curae sufficiunt. Hic curae jam supra disputatae ratio et modus praesertim utilis velociter plerumque meliorem aegrotae affert conditionem. Itaque maximi omnino momenti est, haud nimis sero hanc morbo admovere curationem salutiferam.

§. 57.

Febris autem nostrae majore asthenia atque typho gaudentis, curae quoque ratio jam est difficilior. Febris nunc natura vehementior perdurantiorque, remissiones breviores levioresque, cutis ardens, omnisque aegrotae vigor magis magisque laesus, curandi methodum requirunt efficaciorum. Optima hic remedia Vini usus et Moschi, liquoris Ammonii succinici, saturatorum infusorum Valerianae, Arnicae, Serpentariae, Sinapis-morum, Vesicatoriorum, tum etiam clysmatum e saturato corticis Peruviani decocto cum infuso radice Valerianae, florum Arnicae, in quibus Camphora dissolvitur, quotidie bis terve

adhibendorum, quae tum maximae praesertim sunt utilitatis, si alia illa remedia intrinsicis, haud satis largiter possunt dari. Non minorem calidae aquae, si provide iis utaris, ut omnis refrigeratio, quam maxime evitetur, utilitatem praebent, vel adeo aliis illis remediis majorem, ita ut saepe ad restituendam valetudinem integram plurimum valeant.

Cap. VIII.

Eorum, qui febrem puerperalem plerumque sequuntur morborum indoles et cura.

§. 58.

Si febris puerperalis non subito aegrotam leto tradit, serius adhuc ex sudationibus ac suppurationibus, quae in pelvem demergunt psoarum musculos arrodunt, phthisin psoarum procreant cariemque ossium pelvis; puerpera saepe diem obit supremum.


Aegrotae claudicare incipiunt, pedes intumescunt, inferior abdominis pars uno latere tensor fit, pedes porrigi se deorsum sine dolore incurvare nequeunt. Hic praesertim mundities non negligenda, nec remedia robotrantia nutritiaque, nec abscessuum apertio erumpentium, nec puris evacuatio sufficiens.


Saepe vis medicatrix arte efficacior, ulceribus pus educens aegrotam eripit morti,


Sed haud raro etiam aegrotae hydrope arthritide, blennorrhoeis, pulmonum phthisi corripiuntur, praesertim si peritonaei inflammatio, pleuras quoque pulmonesque afficit. Tum corporis vires vigorque adjuvandi, respiratio et sustentatio maximae esse curae debent, munditiesque semper observanda.


§. 59.

En igitur nostram de febre puerperali ejusque curatione opinionem, qualemcunque prolatam, quam doctissimum quemque ex ordine medicorum ad subtiliores observationes adhortari cupiamus, ut clariori luce hic veterum et recentiorum medicorum locus dubius splendeat. Nam quum veritas experientia duce nunquam unius fuit, prospera fortuna fortasse nobis contigit, ut in anquirenda hujus morbi natura atque indole novi aliquid condentes, vel neglectum revocantes, ad justam melioris curationis explicationem accesserimus.









Febris puerperalis.

Prolegomena,

§. 1.

Is, qui in privato non minus medicinae exercitio, quam in magnis praesertim parturientium nosocomiis invenitur morbus, ab *Eduardo Strother* primo febris puerperalis nominatus, maximum omnino medicorum studium gravissimamque eorum requirit curam, subtili magis magisque observatione diligentiaque colendam, ut, hujus morbi natura et indole clarius perspecta, curam in eo sanando therapeuticam meliorem reddamus atque utiliore.

§. 2.

Historiam hujus morbi diligentius perscrutanti, facillime, vel optimum quemque medicorum variam vario tempore ac saepe

